Quelle: http://manuscripta.at/?ID=36489
Copyright: Göttweig, Benediktinerstift

ad Domnum, qui persecutionis tempore ad Iudeos declinaverat. Volumenque
composuit et aliud de evangelio quod sub nomine Petri fertur, librum ad
Rosenses Cilicie ecclesiam, qui in heresim eius lectione diverterant. Leguntur
et illius sparsim breves eius epistole, auctoris sui ac κ η c ε ω c et vite congruentes.

xlii

Apollonius Rome urbis senator,
sub Commodo principe a servo proditus quod Christianus esset, impetrato ut
rationem fidei sue redderet, brevi spacio insigne volumen composuit
quod in senatu legit, et nihilominus sententia senatus pro Christo capite
truncatur, vetere apud eos obtinente lege absque negatione non di-
mitti Christianos qui semel ad eorum iudicium pertracti essent.

xliii

Theophilus Cesariensis Palestine, que olim Turris Stratonis vo-
cabatur, episcopus, sub Severo principe adversum eos qui xiiii luna cum Iudeis
pascha faciebant, cum ceteris episcopis synodicam et valde utilem composuit epistolam.

xliiii

Bacchylus Corinthiorum episcopus sub Severo
principe clarus habitus est, et de pascha ex omnium qui in Achaia
erant episcoporum persona elegantem librum scripsit.

xlv

Polycrates Ephesiorum episcopus cum ceteris episcopis Asie, qui iuxta quandam
veterem consuetudinem xiiii luna cum Iudeis pascha celebrabant, scrip-
sit ad Victorem Romanum episcopum epistolam synodicam, in qua docet se apostoli
Iohannis et veterem auctoritatem sequi. De qua hec pauca excerpsimus:
Nos igitur inviolabilem celebramus diem, neque addentes aliquid nec minu-
entes. Etenim in Asia luminaria maxima dormierunt, que resurgent
in die Domini, quando venturus est de celis in maiestate sua et resuscitatu-
rus omnes sanctos. Philippum loquor de xii apostolis, qui dormivit Hierapoli,
et duas filias eius, que virgines senuerunt, et aliam filiam eius, que Spiritu Sancto ple-
na in Epheso occubuit. Sed et Iohannes, qui super pectus Domini recubuit et
pontifex eius fuit, auream laminam in fronte portans, martyr et doc-
tor, in Epheso dormivit. Et Polycarpus episcopus et martyr Zmirne cu-
bat. Tharseas quoque episcopus et martyr de Eumenia in eadem Zmirna requi-
escit. Quid necesse est Sagaris episcopi et martyris recordari, qui in Lao-
dicea soporatur, et Papirii beati, et Melitonis Spiritu Sancto repleti, et
propter regnum celorum eunuchi, qui semper Domino serviens episcopus et martyrio